

naturæ parvuli justificari poterant per solum actum interiorem fidei parentum, et tamen non justificabantur sine sacramento; ergo aliquid pure spirituale deserviebat sacramento. Item in lege nova matrimonium solo interiori consensu contrahi poterat, ut dicitur xxvii, quæstione 1, capite Sufficiat: ergo sacramentum non requirit rem sensibilem pro materia. Denique sacramentum appellatur contritio interior, character, Christus Dominus contentus in eucharistia, etc. et tamen non sunt quid sensibile: ergo.

XVII. Respondetur ad argumentum, optimam esse traditam solutionem, licet aliqui etiam dicant, finem sacramentorum non tam esse sanctificationem nostram, quam cultum Dei externum; ideoque externa sacramenta adhibenda esse. Sed optima est solutio data; ea enim quæ spiritualia sunt, quando homini applicata accipiuntur, sensibilibus mediis accipi debent, cum sit natura hominum per sensibilia duci ad intelligibilia.

XVIII. Ad replicam respondetur sacramenta non ducere principaliter ad rem spiritualem ex similitudine, quam habeant cum illa, licet verum sit quod res assumptæ ad materiam sacramenti congruentiam aliquam habeant cum effectu quem præbent; non tamen in ista congruentia (quæ solam analogicam similitudinem importat) fundatur ratio significationis sacramentalis, sed in institutione Christi Domini; quæ tamen sufficiens est ut ad rem spiritualem per signa sensibilia nos deducat, non tamquam per signa naturalia, sed tamquam per signa sacramentalia, et ad placitum, quæ mediante fide effectum suum monstrant, et non naturaliter cognitionem sacramentalem generant, quam intendunt.

XIX. Ad confirmationem respondetur, quod si qui dixerunt justificari parvulos sola fide interiori, consequenter concedere debebant justificari sine sacramento. Cæterum falsa est illa sententia, cum constet ex S. Thoma quæstione lxi, articulo primo necessaria esse sacramenta ad salutem, necessitate medii et præcepti. Quare nunquam parvuli justificati sunt sine aliquo sensibili signo. Quod attinet ad matrimonium, dicimus ipsum perfici solo consensu, non interiori, (nec enim hoc ibi dicit pontifex) sed consensu foris explicato, et modo ad contractus necessario exposito; quod non obscure textus indicat, dicens: « Sufficiat solus secundum leges consensus, etc. » Consensus autem secundum leges non potest esse solum interior, non explicatus extra, et hic solus dicitur sufficere, quia sine ipso, licet alia non apponantur, frustratur matrimonium.

XX. Quod hæretici objiciunt, esse contra christianam libertatem, quod subjiatur homo rebus sensibilibus, et convertatur ad vacua et egena elementa, et quod pejus est, protestamur Deum indigere creaturis sensibilibus ad nostram sanctificationem, frivolum est, nec responsionem meretur. Non enim subjiatur homo his sensibilibus, secundum quod in illis relucet ratio sensibilis et temporalis, sed secundum quod in his traditur Spiritus gratiæ, et signa sunt divini beneficii: *Et sicut placuit Deo per stultitiam crucis salvos facere credentes*, 1 Cor. 1: *Et in ligno evacuare decretum chirographi, quod erat contra nos*, Coloss. 2, et per carnis assumptionem nos transferre in gloriam filiorum Dei; sic placuit per aquam regenerare nos baptismo, et in cæteris sacramentis gratiam suam conferre; non quia his indiguerit Deus ad sanctificandum nos, sed quod potius suam om-

nipotentiam maxime ostendat, in eo quod per res ita abjectas nostram voluerit sanctificationem perficere.

ARTICULUS V.

Utrum requirantur determinatæ res ad sacramenta?

I. Duæ conclusiones eliciuntur ex articulo. Prima in corpore: In sacramentis oportet ut determinatis rebus per divinam institutionem ab ipso Deo procedentem.

II. Secunda in solutione ad tertium: Hoc enim in statu gratiæ et veteris legis factum fuit a Deo; in statu vero legis naturæ, ex interiori instinctu hominum determinabantur signa ista sensibilia.

III. Antequam probentur hæ conclusiones, explicandum est quid intelligat sanctus doctor nomine rerum, cum quærit, an requirantur determinatæ res ad sacramenta, et dicimus, quod nomine rerum intelligit S. Thomas non solum id, quod se habet ut materia respectu formæ physicæ, et partialis hujus totius, sed etiam id, quod se habet ut materia respectu formæ totalis, quæ est significatio; sicut enim in compositis naturalibus (verbi gratia in homine) invenimus compositionem, et ex materia et forma (scilicet ex corpore et anima) et ex supposito et humanitate, sic in composito sacramentali et invenitur compositio ex rebus et verbis, ut ex materia et forma, et invenitur compositio ex re sensibili, et significatione. Et cum utramque in his articulis S. Thomas explicet, etiam nomine rerum utroque modo intelligit res, scilicet, et prout comparantur ad verba, et prout ex rebus et verbis conflata materia comparatur ad significationem. Et quia compositio ex rebus et verbis non est omnibus sacramen-

tis communis, cum non invenitur in sacramentis veteris legis et naturæ; et D. Thomas in præsentia articulo loquitur de omnibus sacramentis, etiam antiquæ legis, fit consequens, quod quando quærit an sint res determinatæ, loquatur de rebus non ut distinguuntur contra verba, et se habent ut materia verborum, sed ut distinguuntur contra significationem, et sunt materia totius significationis, sive sit materia constans alias ex rebus et verbis, sive non. Et sic sensus quæstionis est, an requirantur res determinatæ, id est, materia determinata, seu id quod concurrat ut materia, et ut res sensibilis ad sacramentum, an debeat esse quid determinatum.

IV. Igitur prima conclusio ostenditur a D. Thoma ex eo quod materia sacramentorum non debet institui ad arbitrium humani iudicii, sed ex institutione divina; et consequenter oportet res ipsas ita esse determinatas hominibus, ut indeterminari non possint, si quidem non ab arbitrio eorum pendet ut mutantur, sed ex divina institutione, quæ omnino determinata est. Cum ergo consequentia ista nota sit, de antecedente solum curat D. Thomas, illudque probat, quia in sacramentorum usu duo reperiuntur. Unum est ex parte hominis ad Deum, quia scilicet per usum sacramentorum Deum colit et protestatur: aliud est ex parte Dei ad homines, quatenus per ritum illorum intendit Deus sanctificare homines. Igitur licet ratione primi (scilicet cultus exhibendi Deo) videretur posse ad hominem pertinere determinare res, quibus colere Deum debebat, tamen ratione secundi impossibile est id ad hominem pertinere, quia sanctificatio hominis est solum in potestate Dei (id est, gratiæ largitio) et non in potestate hominis. Nullus autem potest determinare

quod est in potestate alterius, sed sua: ergo non potest homo determinare quibus rebus sanctificationem suam assequatur, et consequenter neque signa sanctificantia se.

V. Secunda conclusio ostenditur a D. Thoma solutione ad tertium ex auctoritate Augustini contra Faustum, quia diversa sacramenta diversis temporibus congruebant. Et in lege quidem naturæ, propter obscuritatem illius status, in quo Deus non dederat legem per se, movebantur homines a Deo interiori instinctu, et eodem etiam determinabantur res et materiæ sacramentorum et sacrificiorum. In statu autem in quo per seipsum Deus dedit legem, in veteri quidem eam ordinando per Angelos in mente mediatoris, in nova autem loquendo nobis in Filio, et per ipsum legem ferendo, pertinuit etiam quod a Deo instituerentur, et determinarentur res, quibus sacramenta confici debebant, sicut et ritus alii religionis et fidei, quæ fundabatur.

DUBIUM UNICUM.

AN OMNIA SACRAMENTA RES DETERMINATAS POSTULENT AD SIGNIFICATIONEM SACRAMENTALEM, EAQUE DETERMINATIO DEBEAT FIERI A DEO.

Conclusio est affirmativa.

VI. Pro cuius intelligentia est advertendum, quod requiri determinatas res ad significationem sacramentalem potest intelligi, vel supposita jam institutione, vel ex natura sacramenti, etiam ante institutionem; quasi ea sit natura sacramenti, ut petat institui in materia determinata. Et quidem supposita institutione, non est dubium quin materia sacramentorum determina-

ta sit, si quidem institutio sacramentum determinat et constituit, et consequenter materiam ex qua constat, et in qua signum illud sacramentale exercetur determinat. Cum enim deceat esse sacramentum religiosum signum permanens in religione aliqua, oportet quod certam et determinatam habeat materiam, et permanentem in tali religione.

VII. Facta vero institutione, non est amplius in potestate utentium eam mutare, cum ad id auctoritatem non habeant; et sic respectu utentium, debent res ad sacramenti materiam requisitæ esse determinatæ, cum non possint ab eis mutari. Ex natura autem rei sacramenta petunt in materia determinata poni, secundum quod significationi eorum necessarium est, et non amplius, quia cum sacramenta sint signa nostræ sanctificationis, non solum ad placitum quomodocumque significantia, sed supponendo congruentiam et similitudinem quamdam cum re significata, sicut ex D. Augustino constat epistola xxiii: « Sacramenta quamdam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta, quam si non haberent, omnino sacramenta non essent: » et libro de catechizandis rudibus, capite xxvi: « Ideo oportet, quod pro sacramentorum materia non quælibet res sumatur, sed illa solum quæ aliquam talem congruentiam aut similitudinem habet; » et ideo determinata esse debet. Sicque sacramentum petit, ut non solum ex suppositione institutionis, sed ex congruentia, quam requirit cum effectu, determinata sit.

VIII. Quod autem a Deo determinata sit materia sacramentorum, satis ostenditur ratione S. Thomæ, ubi tria explicanda sunt. Primum, quod nomine materiæ non intelligimus quascumque cæremonias ac ri-

tus ad sacramentum concurrentes, quæ vocantur etiam sacramentalia (hæc enim Ecclesiæ auctoritate varie mutari possunt) sed nomine materiæ intelligimus id, quod ad significandum sacramentaliter imponitur, et suscipit in se significationem sacramentalem, quæ ex instituto divino ei provenit.

IX. Secundum est, quod materiam sacramentorum esse determinatam a Deo, semper debet intelligi conformiter ad significationem sacramentalem, quæ ei imponitur: et ita non oportet, quod in omnibus sacramentis materia sit determinata in ultima specie, aut individuo quasi physice; sed sufficit in aliquibus, quod quasi generice sit determinata materia secundum physicam considerationem, licet specificè tantum sacramentalem, secundum modum hominibus accommodatum, ut quod in sacramento pœnitentiæ sit confessio dolorosa, quantum sufficit ad rationem iudicii in foro conscientiæ exercendi, in matrimonio sit contractus naturalis inter marem et feminam, quomodocumque fiat sufficienti modo ad contractum, etc. In aliis vero sacramentis determinatur materia magis in specie, ut quod fiat in aqua, aut in oleo, aut pane, et in sacramentis veteribus, quod fieret circumcisio in tali parte, aut agnus comederetur, etc.

X. Tertium est, quod quando dicitur materiam sacramentorum esse immediate determinatam a Deo, non excludit medium, seu mediatorem quasi promulgantem, aut deferentem illam institutionem, sed excludit medium quasi instituentem. Et ita hæc differentia fuit inter sacramenta ante legem et post legem, quod ante legem plura ex illis instituebantur a Deo non immediate, sed mediante republica, quæ non erat solum deferens, aut promulgans, sed vere instituens sacramentorum

materias, ex instinctu tamen interiori Dei; post legem autem datam, sive veterem, sive novam, solus Deus fuit instituens, et ita dicitur immediate instituisse sacramentorum materias.

XI. Et ratio D. Thomæ est satis congrua, quia sicut lex non dabatur tunc a Deo immediate, ita nec sacramenta talis legis dari debebant immediate a Deo, cum sacramenta sint protestationes quædam exteriores, quæ in aliqua lege fiunt, et non alio modo tradenda sunt sacramenta et instituenda, quam ipsa lex et religio, eujus sunt sacramenta. Igitur sicut tunc non erat lex tradita a Deo nisi mediante instinctu interiori, ita nec sacramenta. Fatendum tamen est, adhuc ante legem scriptam, peculiaribus viris aliqua sacrificia aut sacramenta fuisse tradita a Deo, sicut circumcisio, quæ non est ex lege, sed ex patribus, et si quæ alia sacramenta aut sacrificia Deus specialiter aliquibus tradidit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XII. Objicitur primo: Nam in sacramentis veteris legis matrimonium non habet materiam determinatam: ergo. Antecedens probatur dupliciter. Primo, quia id quod modo habet rationem materiæ, postea habet rationem formæ. Cum enim ex consensibus contrahentium constet materia et forma matrimonii, consensus unius potest aliquando esse materia (scilicet, si prius proferatur) et potest habere rationem formæ, si postea proferatur: ergo non habet determinatam materiam. Secundo probatur, quia ante Concilium Tridentinum erat sufficiens materia matrimonii consensus contrahentium clandestinus, qui modo non est materia matrimonii: ergo

non habent sacramenta ex institutione Christi determinatam materiam.

XIII. Respondetur circa materiam et formam matrimonii triplicem esse opinionem. Primo enim magister Cano censuit, etiam ante Concilium Tridentinum non fuisse validum matrimonium nisi præsentem sacerdote, quantum ad rationem sacramenti, licet in ratione talis contractus esset validus: et ita ipse sacerdos est minister conficiens sacramentum, et formam tribuens; contractus vero factus a contrahentibus est materia. Et consequenter in hac sententia est dicendum, quod modo tacente sacerdote non fit sacramentum matrimonii, etsi coram illo contrahatur.

XIV. Sed non potest sustineri hæc responsio; tum, quia Tridentinum tamquam vera matrimonia agnoscit ea, quæ ante fiebant clandestine, quæ tamen inter fideles non poterant esse vere matrimonia nisi essent etiam sacramenta; cum inter fideles matrimonium sit elevatum ad rationem sacramenti, nec dari possit verum matrimonium nisi sic elevatum; tum, quia modo matrimonium verum fit assistente sacerdote et tacente; ac denique, quia nulla verba sacerdotis explicant conjunctionem maritalem practice, sed id sufficienter explicatur per verba contrahentium; ergo non debent verba sacerdotis habere rationem formæ.

XV. Alia sententia est, quod ipsæ expressiones, seu consensus expressi a contrahentibus per verba vel nutus, habent rationem materiæ et formæ; taliter quod ille qui prius exprimitur, se habeat ut materia; et qui posterius, ut forma. Et hoc sufficit ad determinationem materiæ (scilicet, quod sit consensus prius expressus) tunc enim habet rationem determinabilis, et verba

posterius prolata habent rationem determinantis; sicut in numero ultima unitas dat formam numeri, et quæ non se habet ut ultima, est materia. Sic Nugno et Soto.

XVI. Nihilominus tamen adhuc est difficilis hæc sententia; tum, quia possunt simul proferri verba contrahentium, et tunc non erit aliquis consensus prior aut posterior; et consequenter neque materiæ aut formæ rationem habebit; tum etiam, quia contrahentium expressiones æqualiter se habent ad constituendum matrimonium, et prioritas aut posterioritas non ponit majorem, aut minorem determinationem et actualitatem in ratione contractus. Sicut enim in aliis contractibus (verbi gratia in emptione) quod prius vendens proferat consensum vel posterius, non perficit contractum in ratione contractus, sed ratio traditionis aut acceptionis; sic neque in contractu matrimoniali. Unde cum ratio prioris aut posterioris multum materialiter et per accidens se habeat in formali ratione contractus, non potest ipsum perficere.

XVII. Aliud est in numero, nam numerus est quantitas discreta, et consequenter oportet, quod perficiatur, non per extensionem continuatam, sed per divisionem unitatum. Unde quousque ponatur ei ultima unitas, manet interminatus et indecisus numerus, et sic oportet formaliter determinari per unitatem ultimam, seu per unitatem quæ sit terminus, cum unitatum divisio sit perfectiva numeri. Sic autem non currit in præsentem, cum pluralitas consensuum non efficiant contractum secundum quod dividuntur et plures fiunt, sed secundum quod in unam rationem perficiuntur. Et qualis illa sit quærimus.

XVIII. Tertia sententia est, quod in contractu, et consensibus expres-

sis ab utroque contrahente, et a duobus ipsis procuratoribus, aliquid servit pro materia, et aliquid pro forma. Mutua enim traditio, seu explicatio traditionis ab utroque facta, est materia; ratio vero acceptionis ab utroque etiam facta, et verbis explicata, habet rationem formæ. Ratio est, quia in omni contractu traditio est quid materialius et imperfectius, et aliquid determinabile per acceptionem: ergo etiam in contractu matrimoniali traditio habet rationem materiæ, et acceptatio formæ. Cum autem Christus Dominus non addiderit novam formam aut materiam contractui isti, ut faceret sacramentum, sed id quod erat contractus elevavit ad rationem sacramenti, id etiam quod formaliter erat in contractu, mansit ut forma sacramentalis, et quod materialiter, ut materia.

XIX. Omittimus hic sententiam illorum, qui putant corpora contrahentium esse materiam, et consensus expressos formam; corpora enim sunt solum materia remota, non proxima, cum non suscipiant rationem significationis sacramentalis, nisi medio contractu et conjunctione corporum: conjunctio ergo ipsa sensibiliter expressa debet habere rationem materiæ proximæ; nec enim ex corporibus contrahentium componitur sacramentum, sed ex contractu; materia autem proxima est qua sacramentum componitur. Vide alias sententias in Ledesma.

XX. Ad secundam probationem respondetur Concilium Tridentinum non mutasse materiam sacramenti, ut materia sacramenti est, et ut determinata est a Christo Domino. Etenim Dominus solum determinavit, quod contractus a legitimis personis factus esset materia sacramenti. Quæ vero sint legitimæ personæ, vel non, Christus Dominus

non determinavit, sed id reliquit Ecclesiæ suæ et reipublicæ determinandum. Ecclesia autem providens multorum abusibus, statuit non esse personas legitimas ad contrahendum matrimonium, nisi quæ coram parochio contraxerint. Hoc ergo non est mutare materiam sacramenti, sed rem illam, quæ erat materia secundum tales, vel tales condiciones, a ratione materiæ submovere.

XXI. Quare aliud est dicere, quod Ecclesia possit mutare materiam sacramenti, veluti in sensu formali, seu secundum quod materia est sacramenti: aliud est, quod possit rem, quæ est materia sacramenti, separare a ratione materiæ, seu ab eo quod requiritur ad rationem materiæ. Primum quidem est falsum, et secundum verum. Nam cum materia matrimonii sit ipse contractus naturalis, et in quantum contractus naturalis subsit reipublicæ, potest respublica ea addere vel tollere, quæ ut contractus talis rite fiat, requiruntur, et ideo recte potest statuere ut solum sub his conditionibus, et non sub aliis factum teneat. Et sicut qui corrumpit formam panis, non tollit, aut mutat materiam eucharistiæ, sed solum facit quod ista res non sit amplius materia eucharistiæ; et si modo deponerentur illa verba: Ego te baptizo, a sua significatione, non mutaretur forma baptismi, sed efficeretur ut illa vox non esset amplius apponenda in formam; sic qui mutat contractum matrimonii, non mutat materiam sacramenti, quæ solum est contractus debito modo, et a legitimis personis factus, sed efficit quod illa res, quæ ante erat materia, jam non sit.

XXII. Sed replicabis: Nam Ecclesia non mutavit contractum matrimonialem ut contractus naturalis est, sed ut sacramento conficiendo deservit. Nam ut est contractus na-